

Petrus de Pretio, 1229?-1269

*PdP Epistola 17 (Rationis
causa multiplex et multiplicis...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Pretio, 1229?-1269

*PdP Epistola 17 (Rationis
causa multiplex et multiplicis...)*

1248?

Rationis causa multiplex et multiplicis cause ratio cordi meo sollicite nec illicite persuadet, ut pro meis negotiis petendis utilius ad vos recurrere non formidem, cum preter id, quod sumus ab uno fonte sanguinis derivati nos simul tenera lactaverit etas et eisdem diucius educaverit alimentis, que quidem sincera duorum cordium et solida solet esse compages nullis unquam temporibus violanda. Venit eciam et in meum subsidium aliud efficax argumentum nam quomodo vestros obaudire possetis, qui libenter extraneos exauditis, quomodo negligere proprios, qui diligitis alienos. Confidenter igitur, confidenter ad hostium vestrum pulso securus, quod mihi debeat aperiri. Vobis inhereo totus, o columpna fortitudinis nostre domus, vobis attribuo mearum fortunarum eventum, o tocus generis speculum et lucerna et cetera. Sane cum prebenda illa, quam pridem intercedentibus vobis dominus papa mihi concesserat, translata sit postmodum in manus alterius possessoris et cetera. Quapropter, honorande domine, sapienciam vestram decet ad promocionem status mei validius humeros vestros apponere, vestrum ad id robur viriliteir exercere, ut, quod inde mihi syncopa sustulit, epenthesis augeat aliunde. Et cetera... ut per vos solum eandem gratiam recognoscens perpetuo vobis tenear obligatus.